



70.
Q. D. B. V.
DISSERTATIO MORALIS
DE

1702 3/28 M 26
MORALITATE
COGITATIONUM,

Quam
In Illustri ad Albim Academia

Publico Eruditorum examini
submitunt

PRÆSES

M. JACOBUS ELIESER

Schilling!

Nimega - Saxo.

&

RESPONDENS

JOH. GODOFREDUS *Art!*

Sagano - Silesius.

Habeb. ad d. V. April. A. M DCCII.

Hor. Antemerid.

In Auditorio Minori.


VITTEBERGÆ,
Literis CHRISTIANI GERDESII.

MORALITATE

COGITATIONUM

M. JACOBUS BLESER

JOH. GODOFREDUS



I. N. F. A.

§. I.

Non solum actibus exterioribus, qui a lege sua desciscunt, peccatur, verum etiam interioribus, si normæ suæ diffformes producuntur, vitium committitur. Refutatur eo nomine *Cajetanus* a Moralistis, qui bonitatem malitiamque Moralem actui exteriori primum convenire, mirum in modum, & magna animi contentione decernat. Quem secuti deinceps alii sunt, qui eundem cum *Cajetano* errorem defendunt ac tuentur; quem ex eo natum esse *Gordonus* existimat, quod actus intellectus formaliter esse liberos arbitrentur. Distinctione tamen rem expedire nititur *Cajetanus* 1. 2. qv. 20. art. 1. & 2. distinguendo inter bonitatem malitiamve Moralem quam ex fine actus consequitur, & hanc quidem actui interiori non denegat, sed inde ad externum derivari ultro largitur. Eam vero bonitatem, quam ab objecto & circumstantiis accipit actus, primario in actu exteriori inesse, atque ab eo communicari internis. Ab hac sententia non videtur alienus *Azorius* qui lib. 2. instit. Moral. Tom. 1. c. 6. qv. 1. seq. *Cajetani* opinionem non solum affert approbatque, verum etiam novis argumentis eam confirmare satagit. Uterque horum auctoritate *Thome* videntur inducti, qui hoc maxime argumento nititur: *Cum suis*, inquit, sit proprium objectum voluntatis, manifestum est, quod ista ratio boni vel mali, quam habet actus exterior ex ordine ad finem, per prius invenitur in actu voluntatis, & ex eo derivatur ad actum exteriorem: bonitas autem vel malitia, quam habet actus exterior secundum se propter debitam materiam, & debitas circumstantias, non derivatur a voluntate, sed magis a ratione. Unde si consideretur bonitas exterioris actus, secundum quod est in ordinatione

Cō apprehensione rationis, prior est quam bonitas actus voluntatis: sed si
 consideretur secundum quod est in executione operis, sequitur bonitatem
 voluntatis, quæ est principium ejus. Has autem diversas Auctorum
 sententias ita conciliat Gordonus in Theol. Mor. l. 1. Q. 7. cap. 4.
 ut, distinctione adhibita, inter bonitatem objectivam & forma-
 lem, Thome de priori sermonem esse judicet, adeoque refuta-
 tum esse. Nobis id institutum non est, ut in harum opinionum ve-
 ritatem inquiramus, sed potius ad specialiores actuum interi-
 orum considerationem animum appellemus, de cogitationibus
 earumque Moralitate quædam disturi. Cujus quidem thematis
 gravitas ac difficultas facile nos ab instituto avocare ac deterre-
 re possit, cum subacti judicii res sit, hoc argumentum pro di-
 gnitate explicare. Animum tamen addit, tritum illud ac per-
 vulgatum sermone proverbium: Δύσκολα τὰ καλά. Veniam
 igitur nos consecuturos confidimus, si in hoc difficili argu-
 mento, quid valeant humeri, quid ferre recusent, experiamur,
 & pro ingenii mediocritate, de Moralitate Cogitationum nonnul-
 la dicere ingrediamur. FAXIT NUMEN SANCTISSIMUM, UT
 OMNIA PROSPERE CEDANT AC BENE.

§. II.

Cum vero magnam sæpe obscuritatem, pariter at-
 que difficultatem pariat neglecta vocabulorum evolutio, operæ
 pretium nos facturos existimamus, quando vocabuli *cogitationis*
 origini indagandæ nonnihil operæ & laboris impendamus.
 Sunt, quibus *Varronis* deductio arridet, qui, sicut cogito a co-
 gendo, ita etiam ab eodem verbo *cogitationem* derivandam esse
 contendit, quasi mens plura in unum cogat, unde deligere de-
 inceps possit. *Varro* lib. 5. de LL. Unde addit, quod cogitare in
 animo humano sit idem, ac multum diuque cogere ea, quæ
 memoria tenuit. *Varro* loc. cit. *Vossius* *cogitationem* putat esse
 quasi coagitationem, hinc *cogitationem* nihil aliud esse sentit,
 quam curarum congregationem, sive rerum in animo nostro
 agitationem ac comparisonem. *Vid. Vossius* in *Etymol.* p. 147.
 Nos, cum parum delectemur multorum verborum vocabulo-
 rumque strepitu, non multis in origine ac natalibus hujus vo-
 cis inquirendis commorabimur, sed quo demum cunqve modo
 se

feres habeat, *cogitationem* a verbo cogitare commodissime deducendam esse arbitramur.

§. II.

Cæterum cogitationum nomine non intelligimus quasvis repentinas ac inordinatas motiones, quæ nobis subinde vel invitis ac nolentibus suboriuntur, adeoque omnem intellectus consultationem præcurrunt. Hæ motiones a Moralistis vulgo motus primo primi appellantur, qui ad præsentiam rei alicujus subito objectæ aut ex alteratione corporis, aut ex imaginatione repentina excitati, inordinate, & non conformiter legi divinæ insurgunt ante rationis advertentiam, & voluntatis consensum. *Vid. Excellentiss. Dn. Røbrensee in Prudent Moral. part. 2. cap. 4. §. 1.* Unde a non nemine subitanæ ac repentinæ cogitationes nominantur, quia subito, repente ac inopinato oriuntur. Neque enim in potestate nostra situm est, eos evitare vel reprimere, quod in motibus secundo primis fieri posse, Moralistæ tradunt. Nec cogitatio nobis accipitur in præsentem pro actu potentiaæ cognitivæ, uti in vulgari loquendi ratione nobis scum aliquid cogitare dicimur; sed pro actu potentiaæ appetitivæ seu voluntatis. Hinc patet, non ita laxè nobis terminum accipi, ut & ea complectatur, quæ a non nullis cogitationum speculativarum vocabulo exprimuntur, & electionem sive actionem liberæ voluntatis antecedere dicuntur. Requiritur enim præterquam, quod cogitationes speculativæ tantummodo in nuda rei consideratione consistant, & plane non ferantur in rem efficiendam vel consequendam, ut consultationem & electionem habeant annexam, & cum affectu conjunctæ sint, adeoque practicæ cogitationes appellantur. *Vid. Comit. lib. 4. Respons. Moral. Ques. 46. num. 4.* Nam cogitatio hoc loco notat actum voluntatis elicatum, quo objectum ab intellectu cognitum, libere vult ac profequitur.

§. IV.

Propius nunc ad rem ipsam accedemus, & cogitationes esse morales demonstrare sustinebimus, quæ de re nisi in antecessum constet, difficiliter deinceps totum hoc negotium expeditum iri, persuasi sumus. Liqvet illud in genere ex lege Naturæ ac recta ratione, quam eeu normam DEUS Ter O.M. homi-

minibus impressit ingenuitque, ut ejus beneficio non solum externam morum honestatem, verum etiam interiorum animi rectitudinem cognoscere & distingvere possint. Requiritur enim ad actionis a lege Naturæ præceptæ bonitatem non solum, ut fiat id, quod Lex jubet, sed etiam ut fiat ea intentione, quæ legi est conformis. Hinc apparet, ad hoc, ut actio aliqua perfecte bona habeatur, requiri, tum, ut quod lege præscribitur, juxta omnes partes impleatur, tum, ut, agentis animum unice excitet studium, legislatori promptum obsequium exhibendi. *Pufendorff, L. 1. de J. N. & G. c. 8.* Ad quam proinde legem omnes actus, qui boni ac recti esse debent, conformandi sunt. Fieri itaque non potest, quin cogitationes etiam, prout hujus normæ congruunt, vel ab ea deflectunt, bonæ sint vel malæ. Nam cum recta ratio ea, quæ honesta sunt, præcipit, atque ad obiectum, quod creaturæ rationali est conveniens, cogitationes esse convertendas, & in finem præterea bonum dirigendas spondet, non patet ratio, quam ob rem de cogitationum, circa opera externa honesta vel turpia ortarum, Moralitate addubitemus.

§. V.

De Moralitate igitur cogitationum disquisitioni, distinctius paulo progrediemur, adeoque e re erit observasse distinctionem, quæ cogitationes in efficaces & inefficaces distinguuntur. Ac de cogitationibus efficacibus quidem notandum, quod non eodem modo accipiuntur, sed a variis varie exponantur. Uno modo cogitatio efficax dicitur, quæ operis perfecti actum ultimum, ac omnimodam ejus consummationem conjunctam habet; cujus tamen ulteriori consideratione hic supersedemus. Altero modo eadem cogitatio appellatur, quæ pleno opere effectum nondum affecta est, actus tamen intermedios attingit. Quorum actuum alii ipsis delictis perfectis, ut homicidio, furto adulterio etc. sunt propiores, ut parum inter hos & illos interveniat; alii vero ab iisdem remotiores, ut plures committi prius oporteat, quam ipsum peragatur factus. Quo ergo magis cogitatio ad actum ultimo propiores procedit, eo magis dicitur efficax, sicut potentia quo minus ab actu est remota, eo magis quoque potentia verè ac per excellentem.

lentiam talis nomen acquirit. *Velthem. in introduct. ad Grot. de I. B. & P. pag. 1204.* Ubi addit, plurimum efficaciam eliciti actus augeri, quando ita tendit in objectum, ut solum ab extrinseco principio impeditus effectus fuerit, idque propter non fecutus sit, sive quando non concessa fuit occasio agendi, nam hac ratione actus imperatus nihil profus bonitatis aut malitiæ moralis actui elicitio addit. *Velthem. loc. cit.*

§. VI.

Scilicet nonnulli in ea sunt opinione, actus interioris bonitatem malitiamque, per actum exteriorem conjunctum, augeri, adeoque interiorem eo pejorem melioremve fieri. Patrum quorundam hæc opinio fuit, quam etiam *Augustinus* amplexus videtur, dum ita ait: *Mala voluntate vel sola quæmque miserum effici, inferiori potestate, quæ desiderium malæ voluntatis impletur.* Deinde, quia nos hæcenus ostendimus actum exteriorem intrinsecus & per se esse bonum vel malum, ergo voluntas melior aut deterior efficitur eo ipso, quod opere desiderium impletur. *Lib. 13. de Trinit. c. 5.* Idem sentit *Scotus*, qui eandem cum *Augustino* opinionem fovet ac defendit, quam tamen *Augustinus* nequaquam videtur fovisse, actui interiori plus bonitatis malitiæve accedere ex actu exteriore, sed voluntatem tantummodo actu exteriore iterari, confirmari, ac majori tempore perseverare. Id quod clarissime colligitur ex eius *Lib. 1. de libero arbitr. cap. 3. non minus reum esse eum*, inquit, *qui cupit, & si potestas daretur, exequeretur, quam in ipso facto deprehendatur.* Repetit illud *epist. 45. quæ est ad Deo gratias. qu. 4. voluntatem bona & mala metiri Deum bona aut mala merita.* Confessit quoque *Gregorius homil. 5. in Evang. his verbis: Exteriora nostra Domino quamlibet parva sufficiunt; cor namque & non substantiam pensat, nec perpendit, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto profertur.* Scholasticorum plurimi hanc sententiam amplexi sunt, quam & ipse *Thomas* approbat *1. 2. qu. 20. art. 4. Hugo de S. Victore de Sacr. lib. 2. pag. 14. Non est, inquit, inæquale meritum, si æqua sit voluntas. Nam possunt esse voluntate pares, qui facultate sunt impares.* Idque illustrat exemplis. Multum dedit *Zachæus*, qui dives erat, & multum habebat; vidua illa, quæ duo minuta misit, parum habuit, tamen tantum dedit, quantum *Zachæus*, minores facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat; si attendas quæ dede-

dederunt, diversa invenies, si attendas, unde dederunt, paria invenies. Actus tamen voluntatis interior potest ab exteriori saltem per accidens augeri, prout ratione actus exterioris diuturnior est, et illius jucunditate aut molestia intenditur, magis magisque incitatur, juxta ac impellitur.

§. VII.

Ex his non erit difficile, de cogitationum efficaciam Moralitate judicium ferre, cum & Patrum & Moralistarum consensus adsit, qui eam asseruerunt, adeoque testimoniis suis comprobarunt. Spectant huc verba *Vazquez* scribentis: *Controrsam esse de delectatione simplici sine intentione, illud opere exegredi, quod delectat, an sit peccatum, de efficaci autem omnes fatentur.* Tom. I. disput. 109. c. 1. Egregie hac de re ita disserit *Gregorius Moral.* in Job. lib. 4. cap. 33. Omnes, qui vel illicita appetunt vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur: dumque desideriorum turbas intra se excitant, profratam mentem pede misere frequentationis calcant. Alius namque se luxurie subdit, atque ante mentis oculos schemata turpium perpetrationum fingit, & cum effectus non tribuitur operis, hoc crebrius agitur intentione cogitationis. Voluptatis perfectio quaritur, & concussus enervatur animus, hinc inde & sollicitus & coecatus, occasionem nequissime expletionis rimatur. Et non multo post: Hic plerumque concupita adipisci non valens, diem quidem in otio, noctem vero in cogitatione versat. Torpet ab utili opere, quia fatigatur illicita cogitatione. Consilia multiplicat, & finem cogitationum inventionibus latius expandit. Si quidem non perficere, sed conari vel le aliquid, ad celus effectio est, et si non potest fieri. *Vid. Donatus ad Andr. 1. sc. 4.*

§. IIX.

Nunc vero ratio ordinis ac methodi nostrae postulat, ut de cogitationibus inefficacibus quaedam adjiciamus quarum naturam ex definitione perspicere poterimus. Sunt autem cogitationes inefficaces, quae plane nullam objectum vel finem obtinendi intentionem vel desiderium habent ad opus externum perveniendi, sed in voluntatis complacentia circa eam rem, qua delectantur, acquiescunt. Qui hanc definitionem enucleatam desiderant, Moralium Doctores adeant. Nos institutum pro-

sequimur, parum felicitati, quibus denique modis accipian-
 tur; id saltem nobis detur, quod hæc cogitationes bonæ vel
 malæ in genere moris esse possint. Hoc autem unicuique
 facile constabit, qui actionis bonæ requisita secum perpen-
 dit. Nempe ratio, quam supra §. 4. dedimus hic etiam ob-
 tinet, & cogitationes illæ, quæ cum Lege Naturæ ac recta
 ratione consentiunt, vel dissentiunt, pro diversâ habitudi-
 ne bonarum aut malarum nomine venire solent. Adsti-
 pulatur nobis *Aristoteles*: *Non est vir bonus, inquam: qui
 honestis actionibus non delectatur. Neque enim quisquam aut
 justum dixerit cum, qui non ex juste factis capiat voluptatem,
 aut liberalem, qui liberalibus actionibus non delectatur. Idem-
 que de ceteris sentiendum. Lib. 1. Moral. Nicom. cap. 8.* Accedit,
 quod ejusmodi cogitationes, ut & similes actus interni,
 qui moralitatis censentur capaces, non forte fortuna ori-
 antur, ante intellectus judicium & voluntatis assensum sal-
 tem semiplenum, cum omnis actus interior pariter libe-
 re, & ex animo deliberato debeat esse productus. Nam &
*virtuti conjunctissima res est Προαίρεσις, & ab illa magis, quam
 ab ipsis actionibus ingenium & mores dijudicari videntur. Aristot.
 lib. 3. Eth. Nicom. c. 2.* Intellectus quippe practicus objectum,
 quod sibi cognoscendum proponitur, probe considerat, &
 bonitatem malitiamque in eo deprehensam perpendit. Il-
 lud vero dum cognovit, ad voluntatem defert, eique boni-
 tatem vel malitiam ostendit, cujus tamen libertati relictum
 est, illud prosequi vel averfari, seu complacentia aut displi-
 centia excipere. Scholastici *delectationem* appellare con-
 siverunt, cum addito etiam *morosam*, prout ratio delibe-
 rans circa tale objectum immoratur, nec repellit, tenens &
 volvens libenter, quæ statim, ut attingerunt animum, respu-
 debuerunt.

§. IX.

Quod si hac in re Parrum valeat auctoritas, sane non
 defunt, qui gravissimis id testimoniiis confirmarunt. *Non
 B solum*

solum de commissa fornicatione, Isidorus inquit, peccatum regnat in homine, sed si adhuc delectat, atque animum tenet. Lib. 2. de Sumo Bono. Id quod calculo suo confirmat Chrysostomus; Qui studet elegantes facies inspicere, ipse precipue sibi istius passionis fornacem accendit, & captivam facit animam, ad opus quoque celeriter abit, propterea non dixit, qui concupiverit ad adulterandum, sed qui viderit ad concupiscendum. Homil. 17. in Matth. Omnium vero clarissimum illud Augustini est: Una persona, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hac quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata Lib. 12. de Trinit. cap. 12. Deinceps etiam Moralistarum consensus nobis præsto est, multos delectationes, teste Vazquez, sine intentione operis esse peccata, quod nullus sine manifesto errore negare potest. Tom. 1. disp. 109. num. 4. cap. 3. quo de ita differit Lessus de Just. & Jur. lib. 4. cap. 3. dubii. 5. Qui ex imaginatione occisionis alterius vel crudelis tractationis ita delectatur, & interius afficitur, sicut affici solet is, qui inimicum re ipsa in potestate habet, & male tractat, peccat mortifere contra charitatem, quia placet illi malum alterius. Multæ delectationes & tristitiæ sunt laude aut vituperatione dignæ, verba sunt Azorii, & in multis rerum casibus & luctibus meremur aut peccamus, veluti cum in actione & officio virtutis & studio bonorum operum delectamur, & ob peccata turpiter admissa contristari dolemus atque lugemus. In Instit. Mor. Tom. I. lib. 1. cap. 23. Idem hoc uberius demonstrat Lib. 2. cap. 6. Delectatio morosa, ait, est peccatum, quod in sola voluntate completur, nihilominus tamen suum habet objectum. Omnis enim delectatio de aliquo objecto & materia capitur, in qua terminatur, licet in actum exteriorem non tendat, sive ad opus non veniat voluntas, quæ solum delectatur interius. Et paucis lineis interjectis: sufficit, si objectum quatenus malum est, voluntati placet, nam hoc ipso peccat voluntas. loc. cit.

S. X.

Negandum præterea non est, suboriri etiam non-

nunquam cogitationes, quæ equidem voluntati delectationem afferunt, rem tamen, quæ delectationem excitat, obtinere nullo modo potest. Quas ut plurimum cogitationes de impossibili appellare consueverunt. Has qui fovet, peccat procul dubio contra fas ac jura moralia, cum omnis actio moralis propter finem debeat suscipi, is tamen ita comparatus sit, oportet, ut acquisitione judicetur possibilis, alias cogitationes istæ erunt otiosæ, & ideo moraliter malæ. Nec est, quod aliquis objiciat, illud quod non existit in rerum natura, aut fieri potest, nec velle nec appeti posse, nisi habeat rationem rei alicujus subsistentis, alioquin enim res fictas possemus appetere, sed quod cognoscimus esse impossibile, novimus id esse fictum, ergo non possumus illud appetere. Respondit illis *Azorius*: Nos quidem velle non posse, quod novimus esse fictum: nihilominus tamen, quandoquæ cognoscimus aliquid esse nobis impossibile, sed mente & ratione concipimus tanquam bonum gratum & jucundum, & animadvertimus id per se absolute esse bonum & jucundum, imo in aliis esse bonum, ejusmodi impossibile velle & approbare simplici quadam voluntate possumus, quia simul cognoscimus id impossibile quidem esse in nobis, & per se absolute esse quidem possibile bonum, & jucundum, & tanquam jucundum & gratum simplici notitia & cogitatione percipimus. *Vid. Azorius, lib. 1. instit. Moral. cap. 20. Conf. Heerebord, exercit. Ethic. Exercit. 12. th. 1.* Notum est truculentum Imperatoris *Caligulae* votum, quod animoolvebat, verbis etiam protulisse ac plus vice simplici repetuisse *Svetonius* Autor est, optando videlicet, omnibus hominibus, quotquot *Rome* degebant, unam esse cervicem, & maximo cum gaudio & animi voluptate eam se amputaturum. Hujus quidem voti, de re absolute impossibili facti, tamen nunquam compos evadere potuerit, non tamen propterea æque a reatu, quem per hoc crudele votum contraxit, immunis pronunciandus est. Nam utique contra naturale jus delinqvebat, quod sine ante-

gressa culpa, eorum vitæ insidiaretur, & si fieri poruisset, homines infontes leto affecisset.

§. XI.

Quod vero etiam cogitando peccetur, *Scholastici* in-
stunt, dum triplicem peccati rationem obtinere asserunt.
Aliud proinde peccatum cordis dicunt, aliud oris, aliud
denique operis. Hæc tamen peccata duplici respectu
considerari posse contendunt; uno, ut singula per se per-
fecta sunt: & tunc peccata cordis dicuntur ea, quæ in ipsa
ratione seu voluntate complentur, qualia sunt odium Dei
vel proximi, invidia, ira, superbia, etc. Ea vero pecca-
ta oris illis vocantur, quæ in sermone consistunt, & in eo
consumuntur: cujusmodi sunt detrectatio, mendacium,
perjurium, etc. Tertio, peccata operis audiunt, quæ ope-
re perficiuntur: ut furtum, latrocinium, homicidium etc.
Altero respectu hæc peccata accipiuntur, quatenus pecca-
ta cordis vel oris sunt, veluti quidam progressus ad opus.
Peccatum enim, quod consistit in opere, ortum habet
ex corde, & tunc voluntas & cupiditas furandi vel occi-
dendi alterum, dicitur peccatum cordis seu cogitationis,
quia est furtum vel homicidium affectu, vel voluntate sus-
ceptum. Pari ratione alteri furtum, homicidium, adul-
terium sradere, est peccatum oris, & tunc peccata cordis
vel oris sunt veluti initia & origines, fontes vel cause eo-
rum peccatorum, quæ opere consumuntur: imo opus
ipsum est objectum, finis & materia cogitationis, locutio-
nisque sive sermonis. *Azorius lib. 4. Institut. Moral. cap. 4.*

§. XII.

Certum igitur est, in omni culpa admissa, obligatio-
nem oriri ad subeundam pœnam, atque adeo, cum cogi-
tan-

tando peccetur, ad pœnam quoque illud imputari posse, non dubitandum. In foro autem civili quod cogitationes non sint punibiles, has vulgo rationes allegare solent: Et quidem primo generalem reddunt hanc; quia cogitationes non sunt in nostra potestate. Jam vero veluti leges non possunt ferri, nisi de rebus in nostra potestate positis, ita nec pœnæ ab iis repeti possunt, quarum arbitrii non sumus. *Becmannus in polit. parall. dissert. 15. §. 4. Et puniri ab hominibus nequeunt actus inevitabiles naturæ humanæ. Quamquam enim peccatum esse non potest, nisi quod libere sit, ab omni tamen omnino peccato & semper abstinere, supra humanam est conditionem. Grotius lib. 2. de I. B. & P. cap. 20. §. 19.* Has tamen cogitationes, in disputationis principio, exclusimus a præsentî tractatione, cum perfectam intellectus consultationem, & voluntatis electionem antevertant, utriusque operam hic prærequirentes. Sed nec illarum cogitationum pœnam Magistratui dandam esse, plurimi cõntendunt, etiam si id, de quo cogitabant opus, perficere nitantur, quod potestas humana, & ab ea leges lata externam saltem pacem, & salutem ac tranquillitatem publicam respiciant, quam nondum turbant, dummodo illæ cogitationes internæ maneant, neque ad exterius opus erumpant. *Nam Legislatores humani acquiescunt, dicente Puffendorffio, si modo actus exterior, lege præscriptus fiat, eoque magis, quod in recessus animi humani ipsis penetrare sit negatum, nec intentionem agentis liceat intelligere, nisi per per conjecturas, aut signa insensu incurrentia, quæ inter mortales haudquamquam infallibilem generant cognitionem circa ea, quæ in animo fuere volutata. Lib. 1. de J. N. & G. cap. 8. §. 3.* Sed vero, quando cogitationes non amplius intra suos cancellos subsistunt, verum ad exteriores actus & effectus prorumpere incipiunt, nemo opinor dubitaverit, quin juste istæ cogitationes puniri queant. Notandum tamen, quod sicut non omnia delicta paria sunt, ita etiam cogitationes pro earum diversitate ac gravitate gravius vel mitius puniendas esse existimamus. Non-

nunquam etiam contingit, ut quis in levioribus delictis, poenitentia subsecuta, veniam consequatur. At enimvero, qui detestandum facinus, v.g. crimen læsæ majestatis, aut scelus, quod salutis publicæ valde obest, animo fovet, is non absolvetur, si ejus cogitationes innotescant, quia poeniteat sceleris a se cogitati, quin potius justas poenas Magistratui dependet. Exemplo est summi historici *Thuanii* filius, qui capitali supplicio affectus fuit, ob solam conscientiam cædis, *Cardinali Richelio* intentatæ. Cujus rationem hanc affert Historicus: quia tacuerat rem, Reipublicæ valde exitiosam, e qua porro sequebatur, non solam conscientiam facinoris in eo fuisse, sed tacitum simul consensum & approbationem futuræ cædis, in quam si non inclinasset, non tacuisset. *Vid. Priol. Hist. Gall. lib. 1. cap. 6.* De Nobili quodam *Normanno Bodinus* refert, quod fraterculo sodali confessus sit, se *Franciscum Regem* occidere voluisse, nihil tamen ausum esse, & flagitiosæ voluntatis sponte poeniteret: sodalis ei confitenti ac scelus deprecanti, quantum quidem poterat, ignovit; eundem tamen paulo post ad Regem derulit, qui reum comprehensum ad curiam *Parisiensium* mitti jusfit: Curia capitali supplicio, quasi perduellionis convictum, damnavit. *Vid. Bodinus lib. 6. de Republ. cap. 6.*

§. XIII.

Tametsi autem in foro civili cogitationes meræ, neque præmiorum, neque poenarum a Judice constitutarum iis, qui legi aut factis faciunt, aut transgrediendo violant, cupaces sint, nihilo secius tamen, qui pravis cogitationibus inhæret, conscientiæ suæ maculam infert, ac in ea reatum inducit. Crimina quæ nondum ex cordis latebris prodire, animi angor excipit, conscientiæ stimulos addit, terrorem incutit, ut autor malarum cogitationum cumulum quasi poenarum sentiat, ut *Juvenalis* canit: *Satyr. 13.*

Cur-

- - - Cur tamen hos tu
Evassisse putes, quos dira conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verberere
cadit.

Occultum quoviente animo tortore flagel-
lum,

Pœna autem vehemens, ac multo sedior
illis,

Quas & Cæditius gravis indenit, aut Rha-
damantus,

Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Videantur sequentia. Cicero id confirmat, orat: pro S. Ro-
scio. Nolite putare, quemadmodum in fabulis sæpe numero videtis,
eos, qui aliquid impie selerateque commiserunt, agitari & perter-
reri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, & suus
terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque
afficit; suæ male cogitationes conscientiaque animi terrent. Hæ
sunt impiis assidua, domesticaque furia. Ac si penitus recon-
dita hominum judicia fugit, soli Deo talem hominem reum
fistit conscientia, qui tamen aliquando singulari providen-
tia sua motus, conscientia pavores ita acuit augetque, ut
sæpe & hominibus ultro crimen latens animi, a facinorosis
detegatur. Rachelius de princip. Alt. Moral. disput. 3. §. 14. Nun-
quam fides latendi sit etiam latentibus, quia coarguit illos con-
scientia & ipsos sibi ostendit. Seneca Ep. 98. Illos autem non
solum accusat, verum suo etiam testimonio redarguit. Nam
si honesta sunt, quæ facis omnes sciant, si turpia, quid refert
neminem scire, cum tu scias. O te miserum si contemnis hunc
testem! Epist. 43. Bonas contra & pias cogitationes amplis-
simum

sumum sequitur præmium, grata animi tranquillitas, quæ omnia vere bona in se continet, & vel sola homini beatam vitam conciliare valet. *Gentium nobis Doctor* præsto est, qui gloriationem nostram hanc esse arbitratur, ut conscientiam nostram salvam servemus atque integram, cujus testimonio animus noster in adversis rebus mirum in modum erigitur ac tranquillatur. 2. *Cor. 1. Coram. 12.*

§. XIV.

Quare ea semper ex animo depellenda sunt, quæ peccata esse novimus ac sentimus. Et tamen præter spem aliqua inordinata morio vel cogitatio surgat, eam arboris radici similem esse cogitemus, quæ ut vivit & bono succo plena est, folia & bonos quoque fructus profert; si vero radix integra amplius non sit, sed putredinis vitio, corrupta, fructus ex arbore provenientes non erunt meliores. Quamvis etiam ex scilicet igniario percusso ignis eliciatur, mox tamen perit & extinguitur, nisi ei alimentum adhibeas: Et si interdum prævæ cogitationes suboriantur, nunquam tamen diu superesse possunt, nisi corruptæ voluntatis consensu alantur. Peccatum a nobis ipsis est profectum, quia cor non custodivimus. Sapientioribus Gentilibus id perspectum fuit, ideo fugiendas esse malas cogitationes, quod Deus omnibus hominum actionibus intersit, & ita *vivendum esse cum hominibus, quasi Deus te videat, SENECA* admonet. Semper illud *Thaletis Milessi* commendatum nobis habeamus, qui aliquando rogatus: *An homo male agens Deos lateret?* respondit: *Ne cogitans quidem. Laertius lib. 1.* Hoc diligenter nobiscum recogitantes, nunquam, quæ Deum offendunt, in animum admittemus, sed potius in rerum salutarium consideratione, nullo non tempore detinebimur.

S. D. G.

Ulrich Henberg, Diss., 1702 S-2-
1703

ULB Halle

3

003 949 826




f

1702

1703







B.I.G.

Farbkarte #13

w.

1702
3
M.
M.
26

Q. D. B. V.
DISSERTATIO MORALIS
DE
**MORALITATE
COGITATIONUM,**

Qvam
In Illustri ad Albim Academia

Publico Eruditorum examini
submitunt

PRÆSES

M. JACOBUS ELIESER

Schilling!

Nimega - Saxo.

&

RESPONDENS

JOH. GODOFREDUS *Art!*

Sagano - Silesius.

Habeb. ad d. V. April. A. M DCCII.

Hor. Antemerid.

In Auditorio Minori.

VITTEBERGÆ,
Literis CHRISTIANI GERDESII.

